

vocis ordinariæ intervallum appropinquare tùm non ausa, mutuo se alloquio consilioque juvare possent. *Secundò*, in uno eodemque navigio, quod solitarium in magnam tempestatem incidisset, utilissimum foret hoc organon in gubernandis nautis ac remigibus dandisque ac distinctè ubique percipiendis mandatis ad conservationem navigii necessariis: Quam equidem utilitatem adeò magnam certamque prævidit Rex Angliæ nauticæ rei peritissimus, ut singula sua navigia ejusmodi instrumento saltem mediocris magnitudinis instrui statim curaverit. *Tertiò* Præfectus alicujus classis hoc pacto ad sparsas passim naves mandata subito, tranquillo præsertim mari, emittere commodè posset, emissariis adeò lembis opus haut ampliùs habiturus. *Quartò* è Castello quodam maritimo ad stationem navium viciniorem in casu necessitatis transmitti jussa subitanea possent, & quidem, ubi secreto foret opus consilio, terminis obscuris ac solis interloquentibus ex pacto notis. *Quintò* in obsidionibus urbium ac munimentorum tam obsessis quàm obsidentibus multum commodi expectandum esset, ut hi non militibus tantùm supra muros ac propugnacula, sed etiam incolis urbium, etsi maximarum, incutere metum eosque ad deditionem commovere possent; isti verò aut cum vicinis castellis aut cum insidiis vel exploratoribus alicubi foris absconditis &c. de subsidii v. g. necessitate, tempore, modo, aliisque necessariis agere: Cujus equidem posterioris specimen egregium dedisse narrant ultimam urbem Tanger obsidionem, in qua, cum opus quoddam externum ab urbe ita quasi rescuissent obsidentes Mauri, ut nunciis omnis esset præclusa via, per has tubas locutorias interim colloqui sine impedimento & multo cum fructu non cessârunt utriusque Gubernatores, & Anglico quidem idiomate à Mauris nomine excitare, animosque ipsi addere, ii, quibus in magna hominum

num